MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-21

AUTHOR:

LOHSEE, ERNST

TITLE:

DE HYMNO IN MERCURIUM HOMERICO

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1872

Master Negative #

92-80467-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88HD
Z7

Lohsee, Ernst , 1849-
De hymno in Mercurium Homerico. Dissertatio inauguralis philologica quam ... publice defendet auctor Ernestus Lohsee ... Berolini, Lange, [1872]
46 p. 22 cm.

Thesis, Berlin, 1872.

183564

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS MAR CE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 2

DE

IN MERCURIUM
OMERICO.

DISSERTATIO
UGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
IPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE III M. JANUARII A. MDCCCLXXII
H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ERNESTUS LOHSEE
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
MARTINUS SCHEINS, DR. PHIL.
CAROLUS FROELICH, CAND. PHIL.
PAULUS SCHROETER, STUD. PSIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE (OTTO LANGE).

FRIDERICO BELLERMANNO

SACRUM.

Forte fortuna cum ante aliquot annos factum esset ut in Hymnos Homericos inciderem, magna inde voluptate percepta identidem eos perlegi. imprimis autem venustate sua cum hymnus in Mercurium me cepisset, iterum iterumque eum lectitantem fugere non poterant difficultates quae ubique fere in eo carmine se ultro paene nobis offerunt. in quas cum diligentius aliquanto quaesivissem, non omnia ab editoribus recte mihi videbantur administrata esse: quamobrem ipse in hunc hymnum incumbere constitui. ac ne in Francogallia quidem, ubi miles plus quam annum versabar, prorsus e manibus eum dimittendum putavi, sed saepius, ut tempus ferebat, ad eum reverti. iam redux in patriam quid studiis meis profecerim doctis eorum existimatoribus diiudicandi facultatem facere diutius dubitare nolui. neque vero numquam me errasse opinor, difficilis est enim materia disputandi quam elegi, sed satis multum me consecutum esse arbitrabor si turpem errorem nemo reprehenderit, pleraque autem adsensu haud indigna existimaverit. sunt autem compositio hymni et hiatus orationis de quibus copiosius exponam.

I.

Ac statim prior disputationis particula difficillima est et fieri non potest quin uberius tractetur. de prisca enim hymni conformatione prope alter ab altero dissentit ac

praecipue Godofredus Hermannus in editione sua Hymnorum et epigrammatum Homericorum (Lipsiae a. 1806) magna molitus est ut veram et genuinam eius compositionem ex forma nobis tradita erueret. cuius totam rationem adcuratius expendendam esse duxi quippe quae tam ingeniosa et digna viro maximo esset ut iniuste ego tantillus facturus essem si eam aut sicco, ut aiunt, pede transirem aut levibus et primoribus, ut dicitur, labiis delibans ex libidine attingerem. quamobrem etsi minus iucunda haec est quaestio, tamen eam age nunc suscipiam.

Contendit igitur Hermannus de maioribus Homeri hymnis nullum esse quem alii poetae non interpolaverint. interpolationem autem vocat non modo quam nunc plerique intellegant, quae sit in adiectione novorum versuum, sed quam antiqui adpellaverint, cuius sit omnino nova specie rem veterem induere. cuiusmodi interpolationes non solum in Iliade et Odyssea grassatas esse censet sed etiam in Theogonia Hesiodi Batrachomyomachia Hymnis Homericis deprendisse sibi videtur: atque multo facilius et certius eas in his tribus carminibus detegi posse opinatur quod plerumque simul et veterem eorum formam et quae sint interpolatorum habeamus; librarios enim diversas recensiones (namque ita hoc interpolationis genus nominat) saepenumero inter se congruentes ita in unum corpus coniunxisse ut semel scriberent quae communia utriusque essent: sic autem factum etiam esse ut non nulla ex hac vel illa recensione interirent. atque haec quidem Hermannus universe de Hymnis Homericis statuit. Mercuri autem triplici recensione conformatum atque insuper librarii additamentis inquinatum in manus nostras venisse persuasum ei est. discernit enim antiquum aliquem poetam, quem breviter Homerum vocat, alterum itidem antiquum sed isto priore tamen recentiorem,

interpolatorem qui huius posterioris carmen melius reddere conatus sit. huc accedunt versus non nulli quos ex minore quodam in Mercurium hymno petitos postea demum in textu nostro constituendo illatos esse censet.

Quam partitionem Baumeisterus in Hymnorum Homericorum editione (Lipsiae a. 1860) improbavit ille quidem sed noluit singula persequendo falsam esse demonstrare, immo prolatis probabilioribus refellere sibi visus est. in deliciis enim ei est, ubi maior aliqua occurrit difficultas, hiare orationem statuere, ut in eis quae omissa sint infuerit eorum quibus offendimur legentes explicatio; paucos autem versus qui et ipsi removendi videntur a grammatico confictos esse dicit. iam nostrum est munus ante omnia in utramque sententiam inquirere et quibusnam quaeque argumentis nitatur diligentius examinare, tum propria inventa in medium proferre. atque ut ad difficiliora prius adgrediar, nunc seorsim de versibus 463—580, qui sunt in fine hymni, postea de ceteris exponam. initium igitur disputationis ab Hermanniana eorum distributione capiamus.

Hermannus enim in epistula ad Ilgenium data, quae praefationis loco est, p. LXXI—LXXXIX in extrema hymni parte duplicem narrationem invenisse sibi videtur quae diversis auctoribus adsignanda sit: in altera et ea antiquiore Mercurium ab Apolline flagellum et boves pro cithara accipere, secundum autem recentiorem rogare eum ut pro cithara ars vaticinandi sibi concedatur; quam negare Apollinem sese illi impertire posse itaque caduceum et fatidicas sortes dare. atque versus iam inde a versu 462 usque ad finem ita p. LXXIX sq. digerit ut Homero hosce tribuat, 463—472, 474—477, 491—499, 501—508, 574 sq. contra veterem rhapsodum aliquem p. LXXXI—LXXXIV sic finem hymni condidisse putat ut continuaret versus 463—472,

474—477, 540—549, 496, 499, 501 sq., 513—540, 550, 552—566, 574 sq. interpolatorem autem p. LXXXVIII omisisse versum 474 censet postquam de suo versum 473 addiderit, deinde versum 475 non duobus qui sequebantur versibus sed his excepisse, 478—488, 490, 489, quorum maiorem partem ipse contexuerit, ultimum supra (v. 474) de industria omissum hic in suum usum converterit; tum eum ad veterem rhapsodum rediisse neque quicquam inde a versu 540 usque ad versum 566 addidisse, inter hunc autem et postremos duos versus (574 sq.) septem alios (vv. 567—573) interposuisse. reliquos versus quibus in neutra recensione locus erat id est 509—512 et 576—580 p. LXXVI sq. male ex minore illo hymno in Mercurium hic infertos esse censet versibusque 12, 17—19, 25, 111 p. XXXVIII eiectis subiungit, unde praepositis versibus 1—11 hymnum istum se restituisse arbitratur.

Atque illud quidem omnino negari nequit, multis et magnis difficultatibus hanc extremam hymni partem intricatam esse: nam ut nunc leviora omnia mittam, hos dico versus inconditos, 478—495, 519, 568—573, 576—578, de quibus suo quoque loco sententiam aperiemus, nemo certe est quin post versum 506 solita clausula hymnum finitum iri credat. ac praepostera secuntur: primum enim supervacaneum est quam quod maxime fratres a Iove reconciliari, quoniam ni ipsi iam hoc fecissent non τερπόμενοι φόρμιγγι in Olympum rediissent. deinde versus 509, sive σῆμά τ' sive σήματ' scribitur, una cum sequenti aeque insulsus atque otiosus est: quamquam prius illud vitium tollitur si cum Hermanno (p. LXXVI) κτῆμα δ' legimus. tum versus 511 sq. mira nos offendunt brevitate qua fistulae a Mercurio inventae mentio fit. neque vero post versum 513 ullo modo id quod nunc ibi sequitur expectari potest, sed

iure nobis nostro flagitare videmur ut Apollo etiam fistulam concupiscat: id autem non modo non facit sed etiam aliud mirabile dicit. quamquam enim in gratiam cum fratre rediit, tamen metuit ne ille citharam et arcum sibi auferat petitque ab eo ut iure iurando se obstringat nihil umquam quod ipsius sit furari. porro non intellegimus cur vv. 528 sqq. virgam auream De Mercurio daturum esse spondeat Apollo: pro cithara enim boves dedit, quibus contentus fuerat Mercurius, novum autem donum aliquod ab hoc in istum collatum esse pro quo illam acciperet nescimus. iam vero plane obscura sunt quae vv. 533 et 539 sq. leguntur, quibus Mercurius narratur artem vaticinandi ab Apolline petivisse, qua de re nihil cognitum habemus. sequitur longa digressio (vv. 541—549) qua Apollo de oraculis suis ultro exponit et ita quidem ut de eis quasi de futura re loquatur. nam quod Hermannus p. LXXV versum 542 non in Apollinem sed in Mercurium quadrare dicit eamque ob causam cum ceteris omnibus huic a vetere rhapsodo suo attributum vult, non recte mihi iudicare videtur: περιτροπεῖν enim, quod idem valet atque περιτρέπειν, hic non est obire sed fallendi notionem habet quam in verbo περιτρέπειν inesse duobus apud Stephanum (t. VI p. 959 A) exemplis demonstratur, neque opus est ut cum Schneidewino in Philologi tomo III p. 696 παρατροπέων scribamus. atque in his rebus vel maxime offendo: nam illud sane nihili est quod Schneidewinus ibid. p. 693 dicit Mercurium neque διάκτορον (v. 514) neque χρυσόῤῥαπιν (v. 539) vocari potuisse neque apte Apollinem de eo praedicare (vv. 516 sq.)

τιμὴν γὰρ πὰρ Ζηνὸς ἔχεις ἐπαμοίβια ἔργα
θήσειν ἀνθρώποισι κατὰ χθόνα πουλυβότειραν,

quod antea nihil eiusmodi commemoratum sit. id enim profecto illi datum esse in se ipso expertus erat Apollo, modo salem ad-

gnoscas qui in hac ambigna dictione inest. virga autem aurea se eum donatarum paullo ante (vv. 528 sqq.) disertis verbis indicaverat. διάκτορος denique epitheton non minus recte se habet quam si ἀργειφόντης (vv. 73, 84, 294, 387, 414) Mercurius vocatur: cuius adpellationis item nulla in hymno inest explicatio neque inesse debet, cum sic usu trita fuerit ut nemo non qui ea legeret optime sciret quem poeta designaret. maneant igitur illae tantummodo difficultates quas supra posui et videamus nunc primum num Hermanni ratiocinatione omnes tollantur, cum in ipsa nihil offensae insit, deinde utrum probabilis videatur ista versuum inter duos poetas et interpolatorem alterius librariumque distributio qua ille utitur an contra potius se res habeat.

In vetustissimo igitur illo Homeri hymno (p. LXXIX sq.) versus 477 consociari non posse videtur cum eis quae statim subiciuntur (vv. 491—495): his enim verbis, σὺ δέ μοι, φίλε, κῦδος ὄπαζε, apte concluditur oratio Mercuri, sin aliter quis statuere malit id certe mihi concedet, nulla alia orationis forma continuari potuisse nisi hac, 'dans mihi boves', vel, 'da mihi autem boves'. eiusmodi autem quid non legimus sed ita loquitur Mercurius quasi Apollo boves ei iam tradiderit, id quod postea demum fieri videmus. ac ne ipsi quidem versus reprehensione carent: quomodo enim Mercurius sperare potest vaccas suas duodequinquaginta ex tauris quos habet nullos fetus procreaturas esse? neque vero quae postremo loco leguntur habent quo referantur, cum non intellegatur neque quamobrem Apollo κερδαλέος vocetur neque cur usque ad id tempus irascens nobis proponatur. sunt igitur hi versus non modo in Homerico Hermanni hymno sed omnino non ferendi. praeterea in reliquis versus 500 non invenitur, in eo autem qui antecedit ἑκάεργος Ἀπόλλων ex illo illatum est pro his, ἐπ' ἀριστερὰ

χειρός. id autem non vehementer urgeo: typothetae enim errore factum videtur, cum si de industria fecisset Hermannus explicari non posset quemadmodum versus 500 quem neque veteri suo rhapsodo neque eius interpolatori neque librario tribuit omnino in textum irrepsisset.

Sed transeamus nunc ad alterum poetam veterem cuius versus in pagina LXXXI sqq. compositi inveniuntur: ubi haec me offendunt,

477. σὺ δέ μοι, φίλε, δῶρον ὄπαζε
540. θέσφατα πιφαύσκων ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς.

neque enim πιφαύσκων sed πιφαύσκειν requirimus. Hermannus vero participium pro infinitivo non temere sed idcirco posuit quod haec apud eum postea leguntur,

539. καὶ σύ, κασίγνητε χρυσόρραπι, μή με κέλευε
540. θέσφατα πιφαύσκειν ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς,

ut, cum studeret priora illa his adcommodare, ea ipsa corrupisse statuendus sit. sed displicent omnino versus 540—549 huc ab Hermanno traiecti. etenim cum Mercurius fidibus cecinisset deosque omnes carmine celebrasset, Apollo captus dulcedine eius quod audierat in haec verba (vv. 436—438) erumpit,

βουφόνε, μηχανιῶτα, πονεύμενε, δαιτὸς ἑταῖρε,
πεντήκοντα βοῶν ἀντάξια ταῦτα μέμηλας.
ἡσυχίως καὶ ἔπειτα διακρινέεσθαι οΐω.

tecte igitur significat libenter se Mercurio quinquaginta quas furatus esset boves pro lyra concessurum esse, quod ipsum in fine orationis suae iterum attingit dicens (vv. 460—462)

ναὶ μὰ τόδε κρανέϊνον ἀκόντιον, ἦ μὲν ἐγώ σε
κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον ἡγεμονεύσω
δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα καὶ ἐς τέλος οὐκ ἀπατήσω.

Mercurius autem callide usus hac animi fraterni condicione morem gerit Apollini lyramque sese traditurum esse spondet,

pro qua petit ab eo non boves quarum cupiditate iam v. 22 correptus furtum fecerat quasque paullo ante sibi ereptas tamen facile se recuperaturum esse in spem erat haud dubiam modo adductus, sed oracula hominibus edere cupit, ut mentem eius prorsus immutatam esse fingere oporteat, id quod eo mirabilius videtur quo propius ab eo quod tanta pertinacia secutus erat obtinendo abest. vides igitur, opinor, quantas turbas ars vaticinandi illa Mercurio concessa paret. praeclara vero tota est narratio si textum libris manu scriptis nobis traditum post versum 477 inculcando corrigere non studemus. sed mirum fortasse hunc vel illum habet quod Apollo non apertius declarat si lyrae particeps factus sit nolle sese amplius de bobus litem Mercurio intendere. at id ipsum adprime convenire moribus Apollinis adfirmo. quamvis magnum enim aurium oblectamentum ex sono citharae perceperit, tamen memor est furem eum esse qui hanc fabricatus sit et in se peccasse. ingenuitate sua igitur vetatur statim omni qua paullo ante incensus erat iusta ira posthabita disertis verbis illum rogare ut pro bobus cithara se donet. quocirca potius leviter significare mavult non alienum se ab eiusmodi permutatione esse, ut Mercurius, quem boves adamasse sciebat, prior munus suum offerat. et profecto ille voluntate fratris optime intellecta (id quod haec imprimis verba v. 464 produnt, εἰρωτᾷς με περιφραδές) lyram ei tradit de ἀντιδώρῳ securus itaqne obscuriorem tantum eius mentionem faciens dicendo v. 477 σὺ δέ μοι, φίλε, κῦδος ὄπαζε.

Sequitur ut de interpolatoris ratione disputemus, qui quemadmodum orationem veteris rhapsodi immutaverit p. LXXXVIII Hermannus indicavit. at non satis aperte et dilucide haec ibi mihi dicta videntur,

489. σοὶ δ'αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι ὅττι μενοινᾷς.
540. τῷ μοι πιφαύσκειν ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς,

ut nihil aliud Mercurius petat nisi ut frater quippe cui facile sit quaecumque velit scire prodat sibi omnia quae Iuppiter in animo habeat. sic enim non is loqui potest qui μαντείῃ ἐκ Διὸς ὀμφῆς donari vult sed qui alterum de consiliis alicuius interrogat quae nescit ipse, ille haud ignorat. stupescimus igitur etiam sequentia legentes, quibus quid de hominibus in oraculis edendis facturus sit Mercurius enarrat, quoniam artis vaticinandi participem fieri eum studere intellegi non potuit. neque vero locum mutare debuit versus 489 cum versu 490, quem ordinem requiri putat Hermannus. cavet enim ubi in libris invenitur ne ea quae modo de indocto citharae usu dicta sunt ad Apollinem transferantur quippe cuius sit rerum omnium siquidem velit peritum esse, ut δαήμεναι ad δεδαημένος in versu 483 respiciat. et tamen reicio versum 489. nam rectissime, opinor, Hermannus fecit quod versus 478—490 posteriore demum tempore adiectos esse statuit: videlicet placuit alicui uberius de natura et indole citharae exponere isque non dubitavit versu 474 uti. firmatur autem haec sententia non modo eo quod εὐμόλπει v. 478 traditum est, qua voce nova sententiarum series adnectitur, sed etiam illud praeclare huc convenit quod versus 491—495 sat multas habere offensas supra (p. 6) demonstravi. scilicet omnia quae inde a versu 478 leguntur ab eodem homine conficta videntur, qui cum propositum illud suum executus esset, ad finem eorum quae genuina sunt revertendum sibi esse vidit itaque versum 490 ad exemplum verborum δέγμενος ἐξ ἐμέθεν composuit, quae autem ibi subiciuntur σὺ δέ μοι, φίλε, κῦδος ὄπαζε et ipsa imitanda censuit versibus 491—495. atque sic etiam quae in his a cetero hymno abhorrere docuimus explicationem

habent. ne vero Schneidewino (p. 689 sq.) cum Baumeistero adsentiar εὔμολπον scribenti in causa est hiulca quae sic evadit oratio quam argutius Baumeisterus defendere conatus est.

Restat ut de minoris cuiusdam hymni versibus dicam quos a librario utramque recensionem coniungente interpositos Hermannus p. LXXVI sq. arbitratur. quos quidem ingeniose ab eo compositos esse nemo, puto, infitiabitur, mode ne ad istum versus 576—578 pertinere voluisset. hos enim vel in eo ob apertum convicium vix locum habere posse iudico. atque gravius addam argumentum. qui enim fieri potuisse putamus ut sanus aliquis poeta qui ipse Mercurium ἐριούνιον v. 3 vocavit (nam hunc quoque versum p. XXXVIII ad minorem illum hymnum rettulit Hermannus) ut is igitur in fine laudationis suae eundem parum utilem, immo plerumque noxium esse diceret? sed cum semel in hunc hymnum inquirere coepimus, statim totum absolvamus. nego igitur versum 12 excipi posse versu 17, id quod Hermannus fecit. plane enim nescimus quo γεγονώς illud referendum sit, cum nihil aliud quam hoc praecedat, 'sed cum praeterlapsis novem mensibus efficeretur quod Iuppiter volebat, ad lucem is concubitum protraxit qui manifestus sic est factus'. nam locutionem ἐς φόως ἄγειν idem hic quod Homericum πρὸ φόωσδε ἐξάγειν (Π 188 Τ 118) valere putare et eo vetamur quod Iuppiter neque obstetrix est neque obstetricis munere fungens cogitari potest velut Iuno Τ 118, deinde caremus obiecto verbi ἄγειν utique necessario. interpretandus igitur est versus 12 sic ut supra fecimus. tum autem non licet pergere hoc modo, 'mane natus fecit hoc vel illud'. neque enim natum esse aliquem aperte antea dictum est. versus 12 autem non modo in hymno Hermanniano sed omnino ieiunus videtur certeque, ut iam

Ilgenius intellexit, ab aliquo inculcatus est qui nesciebat καί particulam v. 13 in initio apodosis positam esse. sed redeundum est ad minorem hymnum. ubi etiam versus 25 et 111 sic iuxta positi me offendunt: repetitio enim horum verborum, Ἑρμῆς τοι πρώτιστα, tum denique recte se haberet si id ageretur ut post versus 17—19 Mercuri inventa omnia magna voce ad coelum tollerentur. iam cum tertium Mercuri inventum, syrinx, non eisdem verbis magnificis adiungatur sed simplici narratione, fracta et elumbis est illa repetitio ideoque cum ipsis versibus ab homine temere ludente fictis adspernanda. quae me movent causae ut ab Hermanno discedendum neque umquam hunc minorem in Mercurium hymnum extitisse statuam.

Diligenter igitur examinando intelleximus, ni fallor, haud pauca in Hermanni versuum inter tres vel potius quattuor homines distributione inesse quae fieri non possint quin displiceant: restat autem earum quas supra exposuimus difficultatum una: servat enim Hermannus in antiquissimo hymno suo versus 507 sq., quibuscum arte versus 574 sq. iuncti sunt.

Iam vero quae Hermannus invenit quam probabilitatis speciem prae se ferunt? quoniam id secundum erat. in qua re disceptanda non eis utar quae modo contra Hermannum recte mihi disputasse videor: ea enim facile everterent totam eius explicationem qui factum putet ut versus tam diversae originis ita coalescerent: sed per se spectatam hanc examinabo. minime igitur intellegimus cur librarius hymnum Homericum cum interpolato veteris rhapsodi et versibus ex minore hymno petitis iungens, quem non utique stupidum sed diasceuasten quendam fuisse omnino fingere debemus, cur is igitur post versum 508 non versus 574 sq. qui extremi duo in hymno antiquissimo sunt et cum superioribus optime

cohaerent statim legi voluerit sed ex minore illo hymno versus 509—512 inserere praetulerit. neque magis adparet quomodo versus 541—549 ex Mercuri oratione eo transpositi sint ubi nunc inveniuntur. nam etiamsi Hermanno (p. LXXXVII) concedimus illorum versuum errore omissorum librarium tum demum recordatum esse cum haec scripsisset,

539. καὶ σύ, κασίγνητε χρυσόῤῥαπι, μή με κέλευε
540. θέσφατα πιφαύσκειν ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς,

scilicet memorem factum posteriore versu cuius similem iam supra legerat (τῷ μοι πιφαύσκειν ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς), tamen ratio probari non potest qua errorem suum correxisse eum Hermannus credit. neque enim versum 489 (σοὶ δ'αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι ὅττι μενοινᾷς), qui primus est eorum quos omiserat, ubi debebat in margine adscripsisset, ceteros autem versui 540 subiunxisset neque facile iterum neglegentia peccasset alterum versum illum τῷ μοι πιφαύσκειν ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς praetermittens in addendo isto versuum complexu. denique parum est credibile post versus 574 sq. quibus tam aperte recentioris poetae hymnus (p. LXXXIV) clauditur tres illos 576—578 de quibus iam supra p. 10 egimus omnino addi potuisse.

Vidimus igitur, ut tandem summam ex his faciam, Hermanni distributionem non inscitam illam quidem esse sed quae adcuratius perpensa neque per se ipsam stare possit neque ab externa quae vocatur probabilitate adiumentum habeat. quamobrem abiciemus duplicem illam recensionem non magis eam umquam fuisse rati quam minorem istum hymnum de quo ne ipso quidem cogitari posse data occasione supra evicisse nobis videmur. id autem ab Hermanno recte animadversum puto, interpolatoris manum in eis quae tractavimus grassatam esse. quam num etiam in ceteris hymni partibus liceat adgnoscere priusquam quaerimus quidnam Baumeisterus de hac extrema parte sentiat videamus.

Namque is difficillimos illos versus 541—549 omni modo poetae nostro vindicandos esse censet (p. 244) sic futurum tempus explicans ut versibus 539 sq. in medium interiectis Apollinem ab obliqua ad rectam orationem transire arbitretur. quod dicendi genus non modo non Graecum sed omnino absonum ab humano sermone videtur: si enim ita loqui liceret, vehementer vereor ne quis alterum dicentem non intellegeret. cetera autem quibus offendamur omnia removeri putat (p. 186) si inter versum 506 et 513 non nulla intercidisse statuamus pro quibus postea miseri illi versiculi 507—512 subiecti sint: nimirum fistulam Mercurium cum boves pastum ageret invenisse, quam cum Apollo adpetiisset, illum sibi divitias et vaticinationes concedi voluisse. at sic omnia ordine procedere et rite peragi consilium poetae cum Baumeistero opinari, id, ut sola gravissima adferam, vel maxime vetamur et versibus 504—506, in quibus haud obscuram finis significationem inesse iam diximus, et eo quod longe aliud quam ille putat hymni huius poetam secutum esse penitus persuasum nobis est. dicit enim Baumeisterus (p. 185 sq.) versibus 13—16 argumentum hymni contineri, quamquam minus adcurate adumbratum sit, versibus autem 166 et 172 sq. aperte indicari id egisse poetam ut doceret quomodo honores Apollinis vel omnes vel praecipuos Mercurius adsecutus esset. qua in re egregie, si quid video, fallitur. nam, ut primum ad posteriora respondeam, in versu 166 plane nihil eiusmodi sententiae inest, sed simpliciter dicit Mercurius se eam artem professurum esse quae optima sit ad ipsum cum matre celebrandum illustrandumque. in

voce corrupta enim versus insequentis βουλεύων non potest nisi infinitivus inesse ab ἀρίστη pendens cum notione exornandi, ut luculenter ex eis quae mox secuntur adparet. neque vero versus 172 sq. continent quod Baumeisterus praedicat: atque ipse etiam sibi adversatur. nam recte in commentario p. 213 τὴν ὁσίαν ius maiestatis divinae interpretatur, quo pertinet imprimis veneratio hominum, cum antea p. 186 munera intellegi voluisset, quod quomodo fieri possit haud mihi invenire contigit. Mercurius igitur nihil aliud adpetit quam eundem honoris gradum quem Apollo habet id est vult et ipse sibi locum inter deos maiorum quos dicunt gentium concedi. quod autem ad priores illos versus 13—16 attinet, versus 14 cum Hermanno (p. XLI sq.) expellendus est: Mercurium enim bubulcum esse et somnia hominibus adducere pessime interrumpit seriem eorum epithetorum quibus quale sit ingenium et mores eius explicatur. huc accedit quod somniorum esse Mercurium auctorem toto hymno non commemoratur. atque hoc versu iure, opinor, sublato prorsus nihil mihi de argumento hymni ex illo versuum complexu elici posse videtur. et tamen id in propatulo est: cur enim v. 2 poeta Κυλλήνης μεδέοντα καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου Mercurium vocasset nisi ut νόμιον θεόν et in Arcadia quidem maximo opere cultum canere se velle significaret? sunt enim ea epitheta non usu trita veluti διάκτορος ἀργειφόντης sed rariora neque generalem quandam notionem habent sed singulare aliquod officium Mercuri certo loco versantis indicant, ut omnino vis eis tribuenda sit. firmatur autem haec sententia nostra quodam modo etiam versu 19, quem ut spurium una cum duobus antecedentibus e contextu esse relegandum iam inde ab Ilgenio omnes consensisse Baumeisterus adseverat. sed ut iure eos iustissimo priores illos eiecisse arbitror sic in hoc

condemnando peccatum esse censeo. neque enim non bene cum versu 16 convenit neque falsa praedicat neque supervacanea continet, quoniam quo die Mercurius natus sit nondum adcurate definitum est, immo satis videtur iste versus vetustus esse, cum his verbis, τετράδι τῇ προτέρῃ, tecte significetur duas habere mensem partes quas postea tres numeratas esse nota res est. ex hoc igitur versu mea quidem sententia haud dubie genuino fides eis accedit quae de argumento hymni protuli. scilicet poeta ubi primum natum esse Mercurium dixit descripsitque eius naturam, statim proponit quid sibi ipse in illo celebrandum sumpserit, nimirum id quod natali suo perpetravit: est autem inventio lyrae atque furtum boum quod sane illo ipso die coeptum altero peractum est. faciunt autem boves quarum lyra fabricata profecto particeps fit ad pastorale munus Mercuri. atque haec quidem de argumento hymni deque hiatu orationis post versum 506 cum Baumeistero minime statuendo, unde profecti sumus. contra recte is mihi Matthiaeum secutus versum 519 expulisse videtur et ob sententiam et ob dictionem parum Graecam suspiciosum.

Iam cum etiam Baumeisteri sententiam refellisse nobis videmur tempus est quod ipsi de extrema hymni parte sentimus permittere iudicio aliorum.

Ac primum quidem versus 541—549, quos nullo pacto tolerari posse saepius indicavi, omnino ex hoc hymno extirpandos esse duco. habent autem locum in hymno in Apollinem Pythium post versum 361. ibi enim Apollo Cretibus quibus curam oraculi tradidit de victu anxiis pollicetur fore ut securam vitam degant nihil iubens nisi continuo victimas caedere quas permultas Delphos homines acturi sint et pergit v. 360 sq. dicens

νηὸν δ' εὖ πεφύλαχθε, δέδεχθε δὲ φῦλ' ἀνθρώπων
ἐνθάδ' ἀγειρομένων καὶ ἐμὴν ἰθύν τε μάλιστα.

quae ultima verba cum explicari non possent, multas easque diversissimas virorum doctorum coniecturas excitarunt, quas, si placet, vide apud Baumeisterum p. 180. nulla autem earum cum mihi adrisisset neque ipse olim melius invenire possem, illud tamen iam tunc perspiciebam, vero similiter ista aliquam quantumvis tectam corradendarum divitiarum significationem continere. ea enim neque in eis quae praecedunt reperitur neque in sequentibus, quibus plane alia res tractatur. inest neque vero praetermitti eam potuisse probabile videtur in magna divitiarum fama qua templum Delphicum florebat. nunc cum huc reponendos esse illos ex Mercuri hymno versus recte vidisse mihi videar, facilis est coniectura eaque lenissima. lego enim v. 361

καὶ ἐμὴν ἰθύν τε τάδ' ἴστε

id est 'atque hanc scitote voluntatem meam esse.' Δ autem et Λ quam paullulum inter se distent notum est, et sunt profecto hae litterulae mutatae in hymni in Mercurium versu 48 ubi palmaria Piersoni emendatio est λιθορρίνοιο pro διὰ ῥινοῖο. quod cum aliquis Λ pro Δ legere sibi visus esset, quasi sponte τάδ' in μάλ abiit quod facile cum sequenti ἴστε iungebatur, ut μάλιστα inde nasceretur. ac iam ex nostro hymno illa secuntur, sed deleta v. 541 δέ vocula, quibus exponit Apollo, sive recta sive falsa oracula ediderit, tamen dona sibi esse certa futura, id quod illud ipsum est quod vult. sunt autem hi versus non temere in illo loco hymni in Mercurium inculcati, sed cum sede sua casu aliquo amoti exules errarent, eo a librario sunt retracti ubi iterum Apollo de vaticinando verba faciebat.

Restant cetera quibus offendimur in fine hymni. atque versus 507—512 nihil esse nisi ineptum aliquod additamentum ipse quoque pro certo habeo. reliqua autem usque ad finem non ab eodem poeta quo priorem hymni partem condita esse sed ad aliam narrationem pertinere censeo. quae qualis fuerit versus 515 clare monstrat, quamquam nemo adhuc id animadvertisse videtur. nam tum denique haec verba, δείδια μή μοι ἅμα κλέψῃς κίθαριν καὶ καμπύλα τόξα, recto talo stant si antea iam Apollini Mercurius aut diverso tempore et citharam et arcum aut semel vel hanc vel illum est furatus. nimirum prius illud statuas necesse est si ἅμα vocem in legendo urges, alterum si aut κίθαριν aut καμπύλα τόξα, ut ἅμα-καί vix plus valeat quam τὲ-καί. iam illud Mercurium fecisse nemo tradidit neque magis citharam eum abstulisse sed arcum plures testantur: namque, ut unum clarissimum poetam nominem, Alcaeum id narrasse Porphyrio scribit ad Hor. carm. I 10, ubi cum ipse Horatius vv. 9—12 haec de Mercurio praedicasset,

te boves olim nisi reddidisses
per dolum amotas puerum minaci
voce dum terret, viduus pharetra
risit Apollo,

simpliciter ille adnotavit 'fabula haec autem ab Alcaeo ficta', sicut iam ad versum 1 monuit 'hymnus est in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta.' eandem igitur rem quam Alcaeum hunc poetam nostrum quicumque fuit in eis quae interierunt descripsisse est apertum itaque κιθάρεως vocabulum maiore voce efferendum. inerat autem in eis quae deperdita sunt etiam versuum 533 et 539 sq. explicatio itemque virgae aureae donatae quae ἀντίδωρον est pro arcu Apollini reddito. idem igitur hic accidisse videmus quod in hymno in Apollinem, quem ex duobus hymnis constare primus Ruhnkenius intellexit. atque alter hymnus, is in Apollinem Pythium, et ipse initio mutilatus est: neque enim poeta v. 182 sic exordiri potuit,

εἶσι δὲ φορμίζων Λητοῦς ἐρικυδέος υἱός,

quin contra omnem morem vatum hymnos condentium faceret. versus autem 179—181 manifesto hiatus inter duos hymnos explendi causa postea compositi sunt, quam rationem etiam in nostro hymno parentem versuum 507—512 secutum esse nunc, opinor, in propatulo est.

Quibus expeditis pauca de versibus 568—573 addere mihi liceat. ubi versus 569 sq. non minus propter verba ipsa quam propter sententiam ferri non posse iam alii intellexerunt. ego vero nego ne versus quidem 568 aut 571 recte se habere. vereor enim ne nusquam alibi equi muli oves Mercuri esse perhibeantur. sed hoc levius est, gravius autem quod si Apollo dicit 'haec id est virgam auream et Thrias tibi habe, scilicet pro arcu mihi restituto' quae secuntur verba καὶ ἀγραύλους ἕλικας βοῦς non possunt non ad citharam antea donatam referri, quibus vix credibile est poetam ista animalia addidisse, cum in re ipsa sicut gesta est nulla causa insit cur hoc fecerit. quod idem me movet ut versus 572 sq. subditicios esse censeam. contra versus 567 profecto germanus est et clausula sua ansam dedit istius amplificationis. atque haec quidem sufficiant de extrema hymni parte.

Venio nunc ad ea quae inde ab initio usque ad versum 462 legimus et primum quidem ad examinandos eos versus in quibus praeterea Hermannus manum interpolatricem adgnovisse sibi videtur.

Atque eicit versum 24 quod eius fabricator non recte cogitaverit, et vetustiorem poetam aliquanto aliter de testudine inventa dicturum fuisse praedicat. nam cum de abactis a Mercurio bobus dicere coepisset poeta (ipsa sunt Hermanni verba p. XLII sq.), debebat si praeter expectationem aliquid aliud vellet intexere non a Mercurio digressionem

istam ordiri. habet enim aliquid perversitatis haec ratio cum boves quaerit Mercurius et tamen eas non quaerit sed citharam facit. at non quaerit ille boves sed vult quaerere, id quod aperte prodit imperfectum tempus ζήτει v. 22, sed antequam propositum suum exequatur testudine obviam ei facta in mentem aliud ei venit: ut autem nunc, non postea testudinem inveniat, id non idcirco a poeta factum dixerim cum Baumeistero (p. 185) ut vim propriam vocabuli ἕρμαιον demonstraret: id enim si agebat ipsa voce illa Mercurium utentem facere debuit, siquidum propositum suum intellegi voluit; sed non potuit poeta alias quam aut hic, id quod simplicius erat (cf. Hermannum p. XLVI), aut in repetendo antro post versum 145 eius rei mentionem inicere, quoniam testudine ac lyra non inventa non futurum fuisset ut ab Apolline bobus donaretur, quod ipsum tecte his verbis significatur, ἐκτήσατο μυρίον ὄλβον. hunc igitur versum ut spurium existimem a me impetrare non possum.

Neque vero versum 36 ab Hermanno eripi mihi patior quem ut Hesiodeum malae interpolatoris sedulitati vult deberi. immo apud hunc in Operibus et diebus (v. 365) obelo notandus est, cum pervertat orationem nisi ad impeditam interpretationem confugere mavis supplenda penus voce, unde equidem eo magis abhorreo quo certius est totam istam carminis Hesiodei partem sententiis confertam iam inde a versu 327 usque ad versum 380 permultis pro natura sua additamentis intermistam esse. quamobrem is recte sensit qui in margine libri Laurentiani, optimi inter codices hymnorum, haec adscripsit, Ση. τὸν ἡσίοδον κλέψαντα τὸν στίχον, modo id non de ipso Hesiodo sed de eius interpolatoribus intellegatur.

Ac ne in versu 45 quidem relegando Hermanno adsentiri possum. quamquam enim non iniuria in duabus com-

parationibus sic iuxta positis offendit, tamen unam illam quam inde effecit (p. XLVIII) probam esse negandum videtur. ea enim nihil significatur nisi celeritas, docet autem versus 46 qui hic est,

ὣς ἅμ' ἔπος τε καὶ ἔργον ἐμήδετο κύδιμος Ἑρμῆς,

non in ista cardinem rei versari sed in eo ut duae res plane eodem temporis momento fiant. dubitari igitur non potest quin verum Baumeisterus invenerit pro vulgata lectione in versu 45 αἶ ὅτε coniciens αἶ δέ τε: sic enim item una sed ea praeclarissima evadit comparatio.

Iam ad versus 75 sqq. transeundum est quos longam Hermanni quaestionem (q. XLVIII—LVII) movisse non est mirum: ingenue enim fatendum magnis difficultatibus eos implicatos esse. primum igitur nullam sanam rationem excogitare possum cur Mercurius vv. 75 sq. ultro citroque boves agat vestigia id est pedes earum avertens scilicet a recta via ingredienda: hanc enim vim habere verba ἴχνι' ἀποστρέψας Hermannus p. LII evicit adlato simili dicendi genere ex X 194 sqq. tum autem πλανοδίας minime pro substantivo vocabulo accipi potest, quod illi probabile videtur, sed adiectivum esse debet, quippe cum aliter non boum sed Mercuri vestigia intellegenda essent. sed hic illi rei nullum omnino locum esse neque ipse Hermannus neque alius quisquam, quod equidem sciam, intellexit, itaque factum est ut versus 75 sq. pro genuinis haberentur. ego vero Mercurium non callidissimum sed insipientem futurum fuisse censeo si profecto sperasset sic Apollinem deceptum iri: nam qui satis temporis insumit in vestigia persequenda quamvis modo in hunc modo in illum cursum contorta et deflexa is tandem aliquando inveniat necesse est in quam regionem abeant. quocirca et hos versus et versum 210 qui Mercurium ἐπιστροφάδην euntem facit eiciemus innixi etiam eis quae Apollo Iovi

de boum furto (vv. 333—364) refert, ubi de ambagibus quibus illae sint abacta e ne verbum quidem legitur. immo versus 342 et 355 quibus Mercurius nobis recta in Pylium regnum boves agens proponitur manifesto testantur eas minime huc illuc actas esse. multo autem probabilius id artificium est quod vv. 77 sq. commemoratur, Mercurium boves retroversas abegisse: ita enim multo magis ut Apollinem lateret expectari potuit. sed ne illi quidem versus ineptiis vacant: quomodo enim Mercurins ipse retro ivisse dici potest? deinde imperite hi versus ποιήσας participio ad ea quae proxime antecedunt adnexi sunt. huc accedit quod illud κατὰ δ'ἔμπαλιν αὐτὸς ἔβαινε, quod per se ineptum est, monstruosissimum fit si ad Mercurium boves huc illuc agentem refertur. unde efficitur non eundem poetam et priores duos versus et posteriores fingere potuisse. porro versus 79 qui sic in libro Laurentiano scriptus est,

σάνδαλα κ' ἔριψεν ἐπὶ ψαμαθ' ἁλίῃσιν,

nullam habet cum eis quae secuntur coniunctionem, quare Schneidewinus. p. 665 δ' εὖτ' ἔῤῥιψεν Baumeisterus δ' εὖτ' ἀπέριψεν coniecerunt. at primum ex spatio illo quod in Laurentiano vacuum relictum est nondum sequitur lectionem deteriorum codicum δ' αὐτίκ' veram esse non posse, nam saepius (in h. Ap. Del. 7 Ap. Pyth. 301 Merc. 5, 42 Ven. 133) dubitare non possumus quin id quod difficilius in archetypo erat dispicere et eam ob causam omiserat librarius qui optimum illum codicem exaravit ab eis qui ceteros scripserunt recte lectum sit, cum de reliquis duobus eiusmodi versibus (in h. Ap. Del. 59 et Ap. Pyth. 337) res in suspenso sit. deinde nego apte hic sandalia sua Mercurium abicere dici: neque enim ulla causa adparet cur si habuit sandalia, quod nescimus, abiecisse ea perhibeatur, immo in litus proiectis periculum erat ne se ipse proderet. quibus de causis

probo cum Hermanno (p. XLIX) et Frankio ἔραψεν inventum a Matthiaeo. quod quoniam restat vitium illud quod versus 79 nullo modo cum eo qui statim sequitur cohaeret, in hoc potius mendum est quaerendum. id autem et cetera omnia Hermannus commode sibi sanare videtur versibus 77—79 interpolatori tribuendis, qua in re dissentiendum ab eo puto: sic enim non solum remanent versus 75 et 76 quos tolerari non posse supra demonstravimus, sed etiam prava est ob asyndeton haec oratio, δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης· ἄφραστ' ἠδ' ἀνόητα διέπλεκε θαυματὰ ἔργα, et, quod gravissimum est, nulla boum retroversus abeuntium mentio fit. quam si usquam hic faciendam fuisse, rectissime, opinor, Frankius statuit. nam quod omnino eam ex hymno expellendam Hermannus iudicat, et per se falsum est et ad mire interpretandos versus 221 et 344 sq. eum cogit, ut taceam de versu 211 e contextu relegando, quem et ipse sed longe alia de causa de qua infra p. 38 sq. dicam spurium esse puto. nimirum vult ille p. LI sq. hos versus nihil significare nisi boves per arenam huc illuc actas esse, ut confusa hoc modo vestigia alio ducere viderentur quam quo boves abiissent. sed iam Frankius contra haec recte monuit fieri non potuisse ut boum vestigia ad pratum conversa retro ferre viderentur nisi ipsae retroversum abactae essent. sed aliud sententiae suae sustentandae causa Hermannus argumentum adfert p. LII dicens 'quod si Mercurius bobus ultro citroque agendis fallere Apollinem studebat, quid opus erat ut eas recessim ire faceret? alterutro artificio et poterat supersedere et debebat.' quae idem Frankius hac disputatione infregisse videtur, 'omnino quid est cur dicamus non debuisse Mercurium, quo tutius Apollinem falleret, duobus utentem artificiis boves primo ultro citroque ducere deinde retroversum agere?' sed quae ipse Frankius et Baumeisterus de genuina omnium horum versuum conformatione

sentiunt aeque atque Hermanniana abicienda esse duco et iam ipse sententiam meam declarabo. vidimus igitur versus 75 et 76 ferri non posse, vidimus etiam versus 77 et 78 ab alio quidem confictos sed item e medio tollendos esse, vidimus denique versum 80 cum versu 79 (σάνδαλα δ' αὐτίκ' ἔραψεν ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσιν) consociari non posse. colligimus inde haud ignorantes haec non certa sed solum probabilia esse antiquum poetam versui 74 duos subiunxisse quibus hanc fere sententiam complecteretur, 'occulto autem eas scilicet boves de prato ad mare agens nova et inaudita molitus est,' atque huc etiam versum 80 pertinuisse qui in universum dolum Mercuri indicaret; deinde boum retro abactarum mentionem factam, tum versum 79 secutum esse cui cetera inde a versu 81 adnecterentur. postea autem alicui visum tertium Mercurio artificium, quod re vera artificium non erat, adfingere eumque versus 75 et 76 condidisse, qui cum non apte ad versum 80 olim hic lectum accederent, hunc loco suo moverint sed ita ut in margine fortasse servaretur, cum proxime superior interiret. porro alterum hunc versificatorem tertium excepisse qui versus 77 et 78 pangeret, cum aut meliorem sibi videretur boum retrogradarum descriptionem facere posse aut, cum casu pristina eius forma interiisset, id quod requiri intellexerat suo Marte conaretur restituere: hunc etiam eum fuisse suspicor qui versum 80 ibi ubi nunc legitur insereret male usus duplici verbi διαπλέκειν significatione, quod proprie intellegendum esse existimavit. scio hoc hariolari esse sed malui ingenue aperire quae sentirem quam nihil dicere satis habens si non incredibilia protulero sed quae et per se sana sint neque aliqua probabilitatis specie careant.

In eis quae mox leguntur Hermannus recte ille quidem finem versus 84 et initium sequentis ob nomen Mercuri in

membro orationis secundario positum damnavit sed iniuste etiam versum 86 interpolatori vindicavit namque mutans αὐτοτροπήσας istud aperte corruptum in ἀντιτορήσων quod sit 'penetraturus' propter ipsum huius verbi usum recentiorem versum illum e textu migrare iubet. quam rationem non vere criticam esse nemo non videt, profecto autem vocem istam aliam qaam Hermanni emendationem requirere inde patet quod versus sic omni bono sensu destitutus est. atque illud quidem certum esse mihi videtur, οἷά τε hic particulam comparationis esse, simillimam autem enuntiati conformationem ei esse quam in versibus 66 sq. habeamus. quidnam igitur inter se comparatur? dicitur Mercurius calceamentis ex virgultis indutus cavere ne vestigia relinquat, quod non ab omni parte recte se habet: vestigia enim relinquit sed non pedum: quamobrem id ipsum necessario addendum erat. iam cum versus 86 corruptus sit, hanc eum suspicor sententiam prodere debere, 'qualia scilicet vestigia is qui longum iter conficit sponte id est pedibus facit vel relinquit'. sed quod fuerit verbum aut ab αὐτο incipiens aut vocem αὐτός sequens quod olim hic legebatur invenire non potui.

Sequitur ut de versibus 103 sqq. disputem. Hermannus enim p. LVII 'mirum est', inquit, 'boves qui iam v. 103 in stabulum pervenisse dicebantur iterum v. 106 in stabulum actos narrari; mirum etiam, cum v. 105 pasti esse perhibeantur, v. 107 pascentes describi; mirum denique v. 106 καὶ τὰς μέν dici ubi καί omitti debebat'. hoc posterius autem vanum argumentum est: nam redarguitur cum aliis exemplis quae apud Baumeisterum videas tum versu huius ipsius hymni 13. illa vero in quibus praeterea sese offendisse ait vereor ut in poetae verbis re vera insint. notum est enim εἰς praepositione non modo aliquam rem in ipsam alteram inire significari sed interdum etiam nihil aliud nisi in regionem eius abire, id quod hic

locum habere sequentia clamant, siquidem ληνούς, quod et ipsum ex praepositione illa pendet, non est 'in aquationes' sed 'ad eas', ut non omnino necessaria videatur Schneidewini coniectura (p. 665) ἐπ' pro ἐς. porro alterum quod reprehendit in his versibus Hermannus non est quod male nos habeat. convenit enim rei naturae boves post longum iter quamvis bene pastas haud facile pati se in stabulum congregari sed coactas demum et etiamtum mandentes eo se convertere.

Ac ne in proxima quidem difficultate Hermanni iudicium probare possum. scilicet versum 119 adsignat interpolatori, qui versus genuinum expulerit in quo mactandarum boum duarum notio infuerit; ut autem in eo quem postea interpositum praedicat inesse possit, non modo versum 118 omisisse recentiorem poetam putat sed etiam δ' v. 120 in eius oratione exstirpat. et profecto antiquiorem ita ut vult scribere potuisse nemo infitias ibit, sed non minus adparet interpolatorem mutationibus suis nil consecutum esse: cur enim Mercurius volvit boves quas iam prope ignem accensum traxerat? accedit quod totus versus 119 tot et tantis difficultatibus laborat, quas recte Baumeisterus indicavit, ut tutissimum sit eum non temere eicere sed conari ita manum emendatricem ei adhibere ut aptam mactandi notionem contineat, id quod mihi quidem non magis atque Baumeistero contigit. ergo amplianda res videtur. sed vide, si placet, num adrideat tibi quod infra p. 44 sq. hac de re disputabimus.

Transeo ad versus 145—147 quos Hermannus obelo notavit, cum Baumeisterus versus 148 sq. eicere malit. sed hunc nihil moror, ille autem versus 146 sq. cum 148 sq. pugnare iudicat quod Mercurius domum suam id est antrum ingressus id petere dici non possit. deinde miratur quod caveat ille, cum aurae et nebulae similis in domum irrepsisset, ne pedibus strepitum faciat. sed, ut Ὁμηρικῶς prius ad hoc posterius re-

spondeam, non est Mercurius εἴδωλον ἀμαυρόν quod παρὰ κλῆϊδα λιασθῆναι possit sicut illud quod Penelope in δ per quietem sibi oblatum vidit sed incurvata cervice similis aurae nebulaeque id est suspenso gradu domum intrat, ut naturalem corporis habitum non exuat, itaque curare debet ne strepat, siquidem matrem latere cupit. iam venio ad prius Hermanni argumentum, quod recta verborum explicatione labefactatur. quid enim impedit quin genetivum ἄντρου cum ἰθύσας coniunctum eodem plane modo positum esse putemus quo toties apud Homerum κονίοντες πεδίοιο legitur? ingreditur igitur Mercurius antrum et procedit usque ad penetralia ubi ipse cum matre domicilium habet.

Paullo post versus 151—153 Hermanni reprehensionem non fugerunt sed iniustam, credo neque enim quicquam causae adfert nisi quod versus 153 non cohaereat cum praecedentibus; improbat autem Ilgeni emendationem satis lenem et commodam in versu 151 σπάργανα δ' pro σπάργανον legentis, quae ei parum tuta videtur praesertim in scriptore interpolationibus corrupto. sed ut mittam quod sic cogitur aliam versus 150 terminationem (αὐτὰς ἔπειτα) interpolatori dare, ipse sibi quodam modo refragatur in versu 152 aliquanto audacius quam ille ibi sed elegantissime et vero haud absimiliter coniciens παροιγνὺς λαῖφος ἀθύρων, ut venustissima imago pueri ludentis et lodicem manibus paullulum aperientis nobis ante oculos ponatur.

Vv. 239 sqq. rursus duplicem recensionem contaminatam deprendisse sibi Hermannus videtur. postquam enim egregie v. 241 φή et v. 242 ἐγρήσσων ἐτεόν γε restituit a versu 239, qui aperte labem traxit, profectus post hunc eiusmodi quid,

εἰν ὀλίγῳ ἔλσας, κεφαλὴν χεῖράς τε πόδας τε,

excidisse opinatur propter similem versum 240 quem una

cum duobus sequentibus interpolatori tribuit: nimirum vult in versu 239 haec coniungi, ὣς Ἑρμῆς ἑκάερον ἰδὼν ἀλέεινεν, ἓ αὐτόν vero, cum sic non habeat quo referatur, ad eum quem ex consortio reliquorum exturbatum dicit versum trahi. at simile quid hic accidit viro excellentissimo quod supra v. 45 ubi Baumeisteri correctione αἴ δέ τε omnia plana et perspicua fiunt. is autem cum in hoc versu 239 corruptelam insanabilem inesse praedicat fortasse fallitur. neque enim ipse neque ceteri videntur respexisse ea quae proxime antecedunt in quibus prior pars comparationis inest. sicut enim densus cinis occultat carbones candentes sic Mercurius fasciis se involvit. tertium igitur quod dicunt comparationis in non comparendo positum est. quare versum 239 sic legendum proponimus,

ὣς Ἑρμῆς ἑκάεργον ἰδὼν ἀνέειλε ἓ αὐτόν,

cuius si probatur tibi emendatio, tota corruit opinio Hermanni. flectendum autem ἀνέειλε ab ἀνείλω, extare autem verbum εἴλειν Θ 215 probat ubi εἰλομένων occurrit. porro hoc verbum augmentum ε initio capere posse simili forma ἐείλεον Σ 447 demonstratur ab εἰλέω ducenda quod idem valet atque εἴλω. composito autem cum ἀνά praepositione Thucydides utitur VII 81 4 ἀνειληθέντες dicens, cui scholiasta συστραφέντες adscripsit id est 'compulsi. atque alios quinque scriptores, Cassium Dionem dico Philostratum Plutarchum Iosephum Longinum, qui et ipsi hoc vocabulum adhibuerint Stephanus tibi in Thesauri tomo I 2 p. 672 D indicabit, ut tutum ab omni reprehensione videatur id quod reposui: nam aptum esse ad sententiam et lenissima litterarum mutatione ortum in propatulo esse puto. illud addendum est, consulto me ν quod vocant ἐφελκυστικόν delevisse. recte enim omnino Hermannus in Orphicorum editione sua p. 774 contendit non solum apud Homerum sed etiam

apud recentiones οἶ et ἕ voculas semper ita usurpari quasi digamma instructae sint probatque illud in paginis sequentibus perlustrandis et examinandis eorum carminibus. et profecto legimus etiam in nostro hymno v. 26 ἤ ῥά οἱ, versum 159 autem sic scribendum esse conicio,

ἤ ἑ λαθόντα μέτασσα κατ' ἄγκεα φηλητεύσειν.

quod cum praeter eum versum de quo agimus, ubi una littera detracta ἕ a consonanti incipiens consequimur, nil relinquatur nisi οὐδέ τίς οἱ v. 143, vix dubitandum est quin corrupta haec sint verba, neque habeo quod contra Hermanni coniecturam οὐδέ τί οἱ proferam. sed iam ad institutum revertar meum.

In Mercuri igitur oratione qua boves se Apollini furatum esse negat (vv. 261—277) versus 265 Hermanno subditicius videtur. offenditur enim negationibus in versibus 263—265 toties sine copula repetitis, cumque Apollo postea Iovi referens quae Mercurius dixisset solos versus 263 et 264 respiciat (vv. 363 sq.), tertium qui hic legitur condemnat. sed fallitur, si quid video. Apollo enim ne potest quidem hunc adferre utpote qui causam cur Mercurius furem se fuisse neget contineat. quod autem ad particulam negativam tam saepe sine copula repetitam attinet, ipse Hermannus certissimum esse ille quidem p. LXIII praedicat antiquum poetam versum 264 sic ut versum 364 conformasse scribendo,

οὐδέ κε μηνύσαιμ' οὐδ' ἂν μήνυτρον ἀροίμην,

sed in ipso carminis contextu non audet haec typis scribere: de re ipsa autem satis convenienter Baumeisterus disputavit, qui apte etiam v. 265 οὔτε codicum in οὐδέ mutavit, cum Hermannus οὔτι ex versu 377 petat.

Paullo post Hermannus eiusdem orationis versus 273—277 secludit: quod num recte fecerit quaerendum. atque

priores quidem causas quibus motus id fecit apte dudum Frankius infirmavit, restat tertia eaque gravior. Hermannus enim p. LXV 'antiquus poeta', inquit, 'si Mercurium iurato negantem introduxisset vix id praeteriri ab Apolline sivisset, praesertim cum ea re crimen Mercuri augeri debuisset.' recte: nam auguratus v. 213 Apollo compertum habet profecto a Mercurio boves abactos esse. sed adcuratius versus 274—276 inspicientem fugere non potest re vera Mercurium ius iurandum non dare sed callide ὑπίσχεσθαι tantummodo id est adseverare sese neque ipsum furem esse neque alium furantem vidisse. quae cum ita sint, iusto iure de hac re Apollo apud Iovem tacet: tum autem non est quod Hermanno morigeremur.

Versum 332 Hermannus resecat nihil addens quam neminem semel monitum antiquo eum poeta dignum iudicaturum esse. et profecto otiosus est si quis alius cum Baumeisterum secutus σπουδαῖον velocem celerem intellegis. sed in promptu est gravem interpretari, ut proximi superioris versus ratio habeatur in quo est φυὴν κήρυκος ἔχοντα: praeconum est enim gravitatem quandam prae se ferre.

Minus etiam quam hoc de versu Hermannus de versu 348 expellendo disputat, quem simpliciter adfirmat aperte recentiorem esse; quod cur nullam probabilitatem habeat Baumeisterus demonstravit.

Contra vix dubitari potest quin rectissime Hermannus versus 379—382 e medio sustulerit ac libenter his eius verbis quibus p. LXVII inanes versus conficit subscribo, 'sententiae argutae abruptae male nexae, oratio non qualem in antiquo poeta expectes: cuius modi haec sunt, ὡς ὄλβιος εἴην, φιλῶ, οἶσθαι καὶ αὐτός non ad praegressa sed ad sequentia relatum.' atque ipse eo etiam offendor quod Mercurius v. 380 dicit οὐδ' ὑπὲρ οὐδὸν ἔβην: id enim adversatur

versui 23, adversari autem non licet, quod aliter iniuste Iuppiter v. 390 Mercurium εὖ καὶ ἐπισταμένως ἀρνεύμενον ἀμφὶ βόεσσιν adpellaret. deinde quod Solem imprimis se vereri Mercurius v. 381 dicit, adparet quidem id eum facere quod ille πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, sed id ipsum significandum erat. neque apte idem v. 382 se Apollinem ὀπίζεσθαι id est metuere profitetur: per contemptum enim de eo loquitur vv. 370 sqq. dicens simpliciter ἦλθεν, ἄγε cetera ipso nomine non addito. rectissime igitur Hermannus iudicavit, nisi quod paullo confidentius ab interpolatore versus 383 sq. omissos fuisse contendit. is enim quicumque fuit versificator qui tam multa in istis versibus pangendis in sese commisit, is igitur etiam in eo peccasse existimari poterit ut οἶσθα καὶ αὐτός cum insequente enuntiato iungeret.

Atque etiam in versibus 393 sq. exilio multandis verum Hermannus invenisse videtur; quamquam si de hac re alii aliter censebunt statuendum esse, non mirabor: est enim magis in sensu quodam recti positum quam in manifestis vitiis detegendis. nam cum alia defendi posse scio tum syllabam brevem ante mutam cum liquida coniunctam quae in ἀπέκρυψε inest similia tuentur exempla σὺν δ' ἄρα φρασσάμενος (v. 294) et ἐδηδυῖαι μέλι χλωρόν (v. 560). nihilominus, ut iam dixi, mihi quoque spurii isti versus videntur, cum sint non modo non necessaria sed etiam narrationem male tardans explicatio τοῦ ἡγεμονεύειν et ὁμόφρονα θυμὸν ἔχειν in versibus 391 sq.

Difficilior etiam quaestio est de versibus 447—449: quos cum deleri vult Hermannus imprimis ductus videtur hisce verbis, τίς μοῦσα ἀμηχανέων μελεδώνων, quae de cantu curas leniente cum aliis intellexisse putandus est. et recte: nam nobis quidem investigare non contigit unde Il-

genius collegerit μελεδῶνας esse meditationem. mira autem profert Baumeisterus, qui cum omni modo hos versus retinendos esse studeat evincere, non dubitet ad originationem veterum confugere μοῦσαν, quae hic aperte cantum significat, ex Cratylo Platonis (p. 406 A) a μῶσθαι repetens. sed ut haec linquamus, siquidem recta est illa versus 447 lectio (de qua duplici nomine dubitari posse video), Hermanni sententia amplectenda est. tum enim inter τέχνην et τρίβον id est inter artem et exercitationem plane aliena interponuntur quae omnia pessumdant. sed fortasse reperietur aliquando talis clausulae istius versus emendatio ut nominentur tres deinceps res optime inter se cohaerentes.

Denique quod Hermannus versum 455 ut ieiunum eicit, non adstipulor, cum non intellegam quare is qui aliquid admirabile esse dixit sicut hic Mercurius v. 443 postquam cur id dixerit uberius exposuit non iterum rediens unde est digressus admirationis suae signum edere possit.

Iam cum Hermannum etiam per eam epistulae partem quae ad reliquum hymnum excepto fine spectat secuti sumus, illud, opinor, adparet, interpolatorem quem extremam hymni particulam additamentis inquinasse supra vidimus ne a ceteris quidem manum abstinuisse, quamvis saepe usu venerit ut ab Hermanno interpolationes nimis cupide sectanti discedendum videretur. sed antequam ad ea transeam quae ipse animadverti breviter monendum est de paucorum versuum athetesi qua is usus est qui alioquin mirum quantum ab indagandis interpolationibus abhorret, Baumeisterum dico.

Is enim plane cum Schneidewino facit qui p. 667 sq. versus 99 sq. et 141 a consortio reliquorum arcuit. et profecto quinto mensis die Luna non in nocte finienda speculam adscendit lucemve spargit. at in poeta, non in prosae orationis scriptore versamur, cui cum munus iniunctum sit omnia ad

naturam rei narrare, ille animis nostris laetitiam adferre debet venustate imaginum ante mentis quasi oculos ponenda. hunc igitur nisi ad vivum resecare vis non nulla ei concedas oportet quae alteri iure vitio vertuntur. quod hic non fecisse duos illos viros in aperto est: nam cogitando demum concludendoque hos versus non omnino recte se habere adsequimur. accedit quod non ipse poeta v. 19 finxit quarto mensis die Mercurium natum esse sed ex communi opinione rettulit, ut magis etiam possit excusari. quamobrem optimo iure illos versus postliminio nobis in sedem suam reducere videmur.

Ac ne Ilgenio quidem adstipulari possumus qui retinet versus 99 sq., recidit versum 98. sic enim versum 97 interpretatur, 'cessabat nox obscura esse et per obscuritatem auxilium ferre latroni', ut versui 99 opponatur. nolo nunc examinare num profecto ille versus ita intellegi possit, quod equidem negaverim, neque magis iuvat cum Groddeckio alliisque quaerere utrum ἡ πλείων νύξ duae noctis partes excepta tertia an simpliciter maior pars sit, illud dico, in extirpando versu 98 falso argumento Ilgenium esse usum. miratur enim quomodo Mercurius boves in stabulum congregare duas mactare ignem accendere materiam ignis colligere carnes assare assatas in duodecim partes dividere farcimina parare pelles supra petra extendere pedes et capita boum comburere favillam abstergere potuerit, cum fecerit haec omnia eo tempore quo |τάχα ὄρθρος ἐγίγνετο δημιοεργός (v. 98), ad Cyllenen rursus venerit ὄρθριος (v. 143) id est ὡς ὄρθρος ἐγένετο (non, ut ipse dicit, ἐγίγνετο|. neque repugnat quod Maia filium reversum his verbis vv. 155 sq. increpat,

τίπτε σύ, ποικιλομῆτα, πόθεν τόδε νυκτὸς ἐν ὥρῃ
ἔρχῃ, ἀναιδείην ἐπιειμένε;

ὄρθρος enim est crepusculum ante ortum solis itaque optime

ad noctem pertinere dici potest: cuius altera pars est vera nox caliginosa, unde παννύχιος v. 141. miratur igitur Ilgenius quod tam praestigiosa celeritate ista omnia a Mercurio peracta sint et recte miratur vel potius nimis recte. in poesi enim anxia temporis computatio locum non habet, modo ne verba verbis contradicant, ut aperte id negetur quod alias adfirmatur; tum enim sine ulla dubitatione aut corrigendum aliquid aut resecandum. eiusmodi autem difficultatem hic non invenimus, quapropter a relegando versu 98 abstinendum esse censeo. atque addam ex hoc ipso hymno exemplum aliud simillimum. nimirum eadem celeritate incredibili Mercurius e Pieria Onchestum proficiscitur. vesperi enim cum sol occasurus esset in Pieriam venit bovesque furatur (v. 68 cf. vv. 197 et 341) et paullo post solis occasum iam Onchesti est (cf. v. 206), quod inter oppidum et illam regionem multum viae interest: sed noli eam ob causam de interpolatore cogitare, immo cum ipsae temporis notiones inter se conciliari queant, tantummodo confitearis oportet celerrime Mercurium iter suum confecisse. sed inquiramus nunc in alia quae quamquam adhuc pro genuinis venditantur tamen ferri non posse puto.

Ac primum quidem adeundi sunt versus 125 sq. qui cum viris doctis multas difficultates creassent, ab Odofredo Müllero in Gerhardi Studiis Hyperbor. Rom. p. 310—316 egregie explicati sunt. namque sunt haec verba ad antrum quoddam quod proxime a Pylo Messenio abest referenda: quo Mercurium boves abdidisse etiam Antoninus Liberalis in tertia et vicesima transformatione scribit. id enim antrum refertum est lapidibus e stilicidio natis qui mira figurarum varietate notabiles sunt. hos autem Müllerus ingeniose suspicatur ansam dedisse ut homines inter alia etiam duo coria bubula adgnoscere sibi visi eadem esse arbitrarentur

quae Mercurius ibi olim suspendisset atque eius communis opinionis respectum a poeta vv. 125 sq. haberi. sed hunc non eum esse posse qui Mercurium ad Alpheum flumen venisse v. 101 narret nemo animadvertit. est autem sane ille versus genuinus, cum non modo versu 139 sed etiam versu 398 comprobetur ubi coniunctim dicitur

ἐς Πύλον ἠμαθόεντα ἐπ' Ἀλφειοῦ πόρον ἶξον.

luce igitur clarius est confusum esse regnum Pylium per quod Alpheus fluit et Pylum Messenium. sed abfuisse ab antiquo hymno versus 125 sq. etiam inde perspicitur quod vv. 403 sq. Apollo, quamvis procul a fratre absit in limine antri stante, tamen pelles bubulas conspicit. id enim insanum esset, si profecto non extra antrum sed in eo ipso expansae fuissent, ut clamant versus 125 sq recte a Müllero explicati. quos sine dubio eiciendos esse nunc nemo, puto, infitiabitur. versum autem 127 sic fere ante interpolationem istam constitutum fuisse arbitramur,

αὐτὰρ ἔπειθ' Ἑρμῆς εἰρύσατο πίονα ἔργα.

Atque hac fraude detecta fieri non potest quin alteram cum illa cohaerentem odoremur. recte enim Schneidewinus p. 670 sq. id quod Müllerus invenit etiam ad versus 134 sqq. adhibuit. scilicet in eodem antro etiam pingue et carnes boum mactatarum religiosi homines videre sibi videbantur, itaque idem qui versus 125 sq. composuit paullo post illarum quoque rerum mentionem intulit dicens eas a Mercurio alte sublatas in loculis antri repositas esse, ut puerilis furti monimentum esset. hos igitur versus expellere cum ratio quae inter ipsos et priores illos intercedit iubet tum res ipsa postulat ut fiat. quis enim umquam audivit sacra diis oblata igne non absumpta esse? et quomodo Mercurius, qui id non fecit, v. 138 omnia κατὰ χρέος id est κατὰ μοῖραν perpe-

trasse dici potest? accedit illud quod verbis quae sunt ἀλλὰ τὰ μέν (v. 134) non recte vv. 136 sq. opponitur

ἐπὶ δὲ ξύλα κάγκαν' ἀγείρας
οὐλόποδ' οὐλοκάρηνα πυρὸς κατεδάμνατ' ἀϋτμῇ,

in quibus οὐλόποδ' οὐλοκάρηνα, quae verba adiectivorum vice funguntur, ne habent quidem quo referantur. haud absurde igitur Schneidewinus p. 671 et Baumeisterus unum versum aut post versum 136 aut ante ea quae supra posui excidisse suspicantur. sed cum priora illa vitia remaneant, certissimum videtur etiam versus 134 sq. et medium 136 relegare. interierunt autem hac interpolatione pauca verba initio versus 136 in quibus inerat obiectum verbi περᾶν (v. 133) quo aegre caremus: id autem ipsum cogitatione etiam ad οὐλόποδ' οὐλοκάρηνα illud supplendum erat. omnes igitur duodecim portiones sacrificii Mercurius flammis tradidisse est putandus, id quod non solum tutum est ab omni vituperatione sed etiam declarat cur Mercurius se a sacra coena abstinuerit: nimirum si unam ex illis portionem comedisset, se ipse in sacrificando honore minime ornare potuisset.

Deinde offendor versibus 193—196 cum versibus 73 sq. collatis. in his enim quinquaginta vaccae commemorantur quae de grege sint abactae, ex illis omnes fuisse facile colligitur: nam qui dicit vv. 195 sqq. taurum relictum esse, vaccas non item is de omnibus vaccis abactis necessario cogitat. iam quaeritur utra enarratio genuina sit. atque prior illa non modo versu 437 confirmatur, sed etiam contra alteram ipsa describendi ratio pugnat. scilicet is qui ex grege solum taurum relictum esse adfirmat multo vel potius unice aptam orationem habebit si totum gregem excepto tauro vol omnes vaccas gregis e conspectu abiisse dicet, non vaccas ex grege, id quod vv. 191 sqq. legimus.

nam πᾶσαι θήλειαι scilicet βόες non sunt *alle kühe* sed *alles kühe*: aliter enim etiam in eis quae secuntur πάσας arte cum hisce, κεράεσσιν ἑλικτάς, iungendum, interpunctio autem ante verba ἐξ ἀγέλης delenda esset, unde perversa si proxima spectamus oppositio existeret quod taurus et ipse cornibus insignis est. porro quid sibi vult in versu 196 ὃ δὴ περὶ θαῦμα τέτυκται? nimirum taurum et quattuor canes boves tuentes relictos esse. nonne paullo ante taurus a vaccis secretus pastus esse narratur? et cur canes illi vaccas sequi necesse erat? qui si probi fuissent, vaccas abigi non pati debuerunt, sin minus, quod hic nobis statuendum, non una cum illis eos abiisse consentaneum est. pleni igitur sunt isti versus ineptiarum, ut nihil relinquatur nisi ut exulare eos iubeamus. neque vero etiam versum 340 eiciemus,

κλέψας δ' ἐκ λειμῶνος ἐμὰς βοῦς ᾤχετ' ἐλαύνων,

quippe quem Apollo indignabundus apud Iovem efferat: est enim eorum qui iniuria adfecti aliquem accusant rem quam perpessi sunt exaggerare ut facilius isti invidia confletur. quibus de causis maiorem quam quinquaginta vaccarum gregem Apollini fuisse eum qui antiquum hymnum condiderit finxisse necesse statuamus, versus 193—196 autem qui huc non quadrent secludamus.

Secuntur mox non magis iusta. postquam enim cum sene confabulatus est Apollo iter persequitur et avem conspicit cuius volatu monitus Mercurium boves abegisse intellegit. is enim simplex est intellectus verborum, οἰωνὸν δ' ἐνόει τανυσίπτερον (v. 213), quidquid Baumeisterus obloquitur. propere igitur festinat, verum non ad Cyllenen sed Pylium regnum versus, quod omnino est absurdum. id enim tum demum intellegi posset, si neque de fure quicquam comperisset neque ubi boves tunc temporis ver-

sarentur cognovisset. atque has quidem ignorat: senem enim istum nihil ei respondere potuisse nisi eadem via quam ipse usque ad Onchestum secutus esset id est in Pylum ducente (cf. v. 342) eas perrexisse manifestum est. praeterea nullam earum Apollinem notitiam habuisse non solum haec verba quibus Mercurium compellat (vv. 254 sq.) indicant, μήνυέ μοι βοῦς θᾶσσον, et versus 302 sq. sed docet tota narratio. primum enim cur vv. 246 sq. omnes antri recessus circumspicit et tria adyta aperit nisi ut experiatur num boves ibi sint? deinde cur ad Iovem se cum fratre confert nisi ut ab isto hic cogatur boves monstrare? sed ut de hisce nihil scit Apollo ita de fure certior factus est: hic igitur petendus ei erat: aut enim etiamtum apud eum boves erant aut, si non erant, sperari potuit fore ut inquirendo minitandoque fieret ut indicaret ubinam furtum abscondisset. atque etiamsi boum mansionem aeque ac furem compertam habuisset, non hanc Apollo adire sed Mercurium convenire et, cum boves dissimulasset, eo debuit adducere quo reconditas esse scivit: haec enim sola fuisset recta agendi ratio. quibus de causis utique ridiculum erat regnum Pylium petere. sed petit id Apollo: at cum nube se involvisset et vestigia Mercuri et boum oculis lustrasset, venit non eo quo voluit sed ad Cyllenen quo velle debuit. neque vero sic haec explicari possunt ut dicamus Apollini profecto in animo fuisse ad Cyllenen contendere, quem locum attigisse viam quae in Pylium regnum duceret. perversum est enim cum ad aliquem locum contendimus non eo nos ire praedicare sed in regionem quae multo est remotior. duplicem igitur eamque magnam offensionem cum versus 216 habeat, confidenter eum dele mecum. aperte autem inde originem suam traxit quod legimus vv. 354 sq.

τὸν δ' ἐφράσατο βροτὸς ἀνὴρ
εἰς Πύλον εὐθὺς ἐλῶντα βοῶν γένος εὐρυμετώπων.

quae cum invenisset homo non admodum nasutus, addendum putavit Apollinem quae senex indicasset eis usum esse, non cogitans ille hunc de fure certiorem factum non istuc ire sed domum Mercuri petere debuisse.

Transeo ad versus 218—227. ubi ineptissimum est tunc denique Apollinem vestigia boum et Mercuri cognoscere. qui enim fieri potuisset ut ad Onchestum usque veniret nisi iam antea ea repperisset? et repperisse seseipse vv. 342–354 pluribus exponit. ceterum hinc sua eum sumpsisse qui versus 218–227 pegit oratio prodit in qua saepius eisdem plane verbis quibus postea Apollo apud Iovem utitur. repugnant igitur versus 218–227 et sanae menti et reliquae narrationi. sunt autem certe ab aliquo conficti qui cum stupide miraretur unde factum esset ut Apollo rectam viam ingrederetur rationem eius rei reddendam esse existimaret, fuitque is probabiliter fabricator versus 216 qui et ipse, ut supra vidimus, ad Apollinis orationem apud Iovem habitam tamquam ad fontem redit. cum vero non post versum 185, ubi aptius fieri poterat, sed hic post senem Onchestium interrogatum miseras lacinias suas inseruerit, etiam versus 211 in suspicionem vocatur. videlicet aliqua sane causa cur hic demum Apollo vestigia ista cognosceret ei qui versus 218–227 addidit adferenda videbatur et senem illum de ratione qua boves abactae essent garrule loquentem induxit, id quod antiquior poeta suo, opinor, iure non fecit: Mercuri enim minis (cf. vv. 92 sq.) istum aliquatenus territum fuisse monstrant genuini versus 202–209, qui sollicitudinem eius et anxietatem egregie produnt. quod si haec recte disputavi, id post versum 211 excidisse statuas oportet quod ad calceamenta Mercuri dolose fabricata pertineret. hic igitur hiare orationem ipse quoque

censeo sed ob multo aliam causam quam Baumeisterus, qui propter versus 342 et 355 opinatur addidisse senem boves Pylum versus abiisse, quasi vero, siquidem illo tulit via quam iam inde a Pieria usque ad Onchestum Mercurius secutus erat, non per se intellegatur si persecutus eam esse narraretur Pylum eum petivisse. quae cum ita sint, exulet versus 211 cum eis quibus olim excipiebatur ut ab eodem inculcatus qui versus 218–227 interpolavit: qui tamen diversus fuerit necesse est ab eo quem versum 210 male inseruisse supra p. 20 ostendimus: alias enim etiam boum ultro citroque per arenam actarum aliquam in descriptione sua mentionem eum postea facturum fuisse admodum vero simile est.

Restat inter versum 216 et versus 218—227 versus 217,

πορφυρέῃ νεφέλῃ κεκαλυμμένος εὐρέας ὤμους,

per se probus: sed cum inter duas interpolationes legatur, vix est credibile antiquiorem eum istis esse. atque suspicor, ut hoc strictim moneam, parentem versus 217 etiam versum 234 immutasse scribentem αὐτὸς Ἀπόλλων pro eo quod secundum Hermmanni sententiam fortasse antea fuit ἑκατηβόλος ἀργυρότοξος. cum enim nube Apollinem velari supra finxerit, is nisi rursus dei speciem induit a Mercurio v. 235 non potuit adgnosci.

Denique versus 454 obelo videtur mihi configendus esse. Apollo enim magno opere delectatus, cum Mercurius fidibus cecinisset, magnis eum laudibus extollit adfirmatque se, quamquam Musarum comes sit, tamen nondum tantam aliunde voluptatem cepisse, quibus haec subiunguntur v. 454,

οἷα νέων θαλίῃς ἐνδέξια ἔργα πέλονται.

quem versum una cum hoc qui antecedit,

ἀλλ' οὔπω τί μοι ὧδε μετὰ φρεσὶν ἄλλο μέλησεν,

non uno modo interpretari possumus. aut enim ἄλλο suam

sibi habet vim et propriam notionem aut nihil designat nisi oppositionem, deinde ἐνδέξια ἔργα sunt aut apta aut, sicut Matthiaeo placet, a laeva ad dextram procedentia id est παροίνια ᾄσματα. iam inde hae nascuntur diversae inter se sententiae, 'nondum adeo me delectavit aliud quid ex eis quae in conviviis iuvenum apta sunt ludicra'; atque sic fere Baumeisterus vertit. tum igitur Apollo providet lyrae in conviviis aliquando usum fore, id quod iam fecit v. 436, ubi cum Matthiaeo δαιτὸς ἑταίρην legendum est. aut hac re non significata simpliciter dicit 'nondum adeo me aliud quid delectavit, nimirum nihil ex eis cet.' tertia haec evadit sententia, 'nondum adeo me aliud quid delectavit, nimirum nihil ex eis quae in conviviis iuvenum ordine a laeva ad dextram procedente canuntur.' quartum non datur. laborant vero tria illa, ut de dictione taceam, haud mediocri cogitandi pravitate. videlicet Apollo qui artem Mercuri novam atque inauditam praedicat non eos qui in conviviis fiunt vocum et fidium cantus cum illa comparare potest quippe qui non inter praecipuos numerandi sint, sed aut ne Musarum quidem in hac arte praestantissimarum cantus aut nihil omnino quod umquam cani audisset cum eo quod Mercurius paullo ante edidisset componi posse dicere debebat, atque id posterius sane v. 453 fecit. quid igitur fiet de versu proximo? sensit profecto aliquid veri Groddeckius, qui in Commentatione de hymnorum Homericorum reliquiis a. 1786 scripta p. 92 hunc versum cum antecedenti locum mutare iussit: sic enim removetur perversa illa de qua diximus comparatio neque inepte post versum 452 verba illa leguntur, quidquid Baumeisterus contradicit. sed cum versu hic interposito nimium quantum tota periodus languescat, melius esse iudico omnino removeri eum, sic autem in locum quem nunc tenet irrepsisse censeri ut primo margini ab aliquo adscriptus

quem versibus 451 sq. simile additamentum subiecisse atque supra vv. 55 sq. legerat iuvabat postea demum in textum et id quidem falso loco reciperetur.

Iam cum satis, puto, de compositione hymni disputaverim et Hermanni et Baumeisteri paucorumque aliorum sententias recensens, tum quod ipse verum esse duco proferens, age summam breviter nunc faciam omnes versus qui antiquitus ab hymno abfuisse videntur infra colligens. atque in priore hymno id est usque ad versum 506, cui addita erat solita hymnorum clausula, hos versus extirpandos esse censeo, 12, 17 sq., 25, 75—78, 111, 125 sq., 134 usque ad medium 136, 193—196, 210 sq., 216—227, 379—382, 393 sq., 454, 478—495. male iungitur hic hymnus cum fine alterius quem inde a versu 513 legimus versibus 507—512 aperte suppositiciis; ex illo autem ipso relego versum 519, versus 541—549, qui locum habent in hymno in Apollinem Pythium post versum 361, versus 568—573, 576—578.

II.

Transeo nunc ad hiatus orationis in hymno nostro statuendos, quos quidem data occasione nondum memoraverim: id enim alterum erat.

Ac primum quidem de versibus 90 sqq. dicendum est. adloquitur ibi Mercurius senem quem in itinere suo prope Onchestum vineam extruentem repperit hortaturque ne se prodat, alioquin magnum eum incommodum capturum esse. sed misere lacerata haec est oratio. atque illud quidem apertum et iam a Groddeckio p. 86 animadversum, non nulla post versum 91 intercidisse. neque enim ullo modo transitus ad rem diver-

sissimam atque id a simpliciter adpellando ad graviter vetandum praeparatur. abest praeterea obiectum ad ἰδών et ἀκούσας pertinens, ut, si quis nullam externae quae vocatur probabilitatis habeat respectum, in promptu ei sit conicere ἀλλά μ' pro καί τε. nos vero illud quidem pro certo adfirmamus, ea quae ante haec interierunt ab ista particula adversativa initium cepisse, cum obiectum etiam alia vox fuisse possit. atque in hac ipsa Mercuri oratione alterum hiatum Schopenus in Diorthoticis Bonnae a. 1846 editis p. 3 sq. deprendisse sibi videtur. cum enim insanum sit ὅτε μή quod v. 93 legimus, inter duo illa verba versum excidisse credit aberrantibus librarii oculis a voce aliqua μή isti haud absimili ad id ipsum quod in proximo versu legeretur. atque probant hoc et Schneidewinus p. 666 sq. et Baumeisterus mihique ipsi aeque persuasum esset nisi commodius etiam vulnus apertum sanari posse videretur. nam siquidem hiat oratio vix aliud quicquam omissum esse potest quam quod illi ipsi volunt hoc est 'si quando de bobus interrogatus fueris, num quem eas abigentem conspexeris.' iam cum semel post versum 91 certo interrupta sit oratio, illud ipsum quod post ὅτε Schopenus excidisse censet hic olim lectum esse eiusque apodosin his contineri verbis statuo,

καί τε ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶναι καὶ κωφὸς ἀκούσας
καὶ σιγᾶν τότε,

quibus statim Mercurius hasce minas addit,

μή τι καταβλάπτῃ τὸ σὸν αὐτοῦ.

atque sic recte omnia procedunt: obiectum enim participiorum ἰδών et ἀκούσας ex eis quae deperdita sunt optime suppleri potest, τότε autem illud quod pro ὅτε posui etiam Schmittio in Iahnii Annalibus t. LXXIII p. 150 in mentem venit. neque vero offendit καί τε, quod insolens esse perperam Groddeckius iudicat, saepius enim apud Homerum legitur partim ita ut τὲ

notionem suam servet partim sic ut hic et v. 133 pro simplici καί, cuius usus haec sunt manifesta exempla, A 521 T 86 X 31 ξ 465 καί τε autem hic ad ἰδών participium plane eodem modo quo postea ad ἱμείροντι trahendum est, ut vicem usitatioris καίπερ sustineat. neque vero rectius Baumeisterus vituperat quod in vulgata lectione prius ἰδών digamma instructum sit, cum posterius eo careat. profecto enim ne illud quidem hanc litteram in pronuntiatione habuit praefixam, sed hiatus adgnoscendus est sed is licitus, qua de re conferas, si placet, Hoffmanni Quaestiones Homericas I p. 91 sq., qui haec prorsus similia hiatus in primi pedis caesura trochaica exempla adfert, Ζεὺς δὲ ἑόν (A 533) ἐν δὲ ἰῇ (I 319) τῷ με ἔα (P 16) μή με ἔα (X 339).

Venio nunc ad versum 110. paullo ante Mercurius nobis repraesentatur artem quandam ignis accendendi quaerens. videlicet ramum laureum manui adaptum decorticat et excitatur fumus calidus. quod cum sic fieri nullo modo possit, mutilam hanc esse descriptionem primus Schneidewinus p. 668 intellexit, id quod probat Kuhnius in eximio libro cuius titulus est *die herabkunft des feuers und des göttertranks* (a. 1859) p. 36, itaque ante versum 110 minimum unius versus damno adfectam narrationem esse contendit qui alterius etiam ligni et utriusque invicem fricandi adderet notionem. nimirum discimus ex scholio in Ap. Rhod. A 1184 constitisse haec igniaria lignea ex partibus duabus, quarum ima (τρύπανον) in alteram (στορέα) demitti posset, ut illa in hac velocitur circumagenda materies earum calefieret. tradit autem Plinius in Historia naturali XVI 40 77 nil hedera praestantius esse quae teratur, lauro quae terat. iam hic laureum unum lignum fuisse noscimus, sequitur ut id terebrae vice functum sit, cum alterum, cuius periit descriptio, fuerit στορεύς. in hunc autem cum minus quadret illud ἄρμενον ἐν

παλάμῃ, haec verba potius ad τρύπανον referenda videntur, ut post haec non ante ea, ut Schneidewinus fecit, versum interceptum esse adpareat. et post medium versum 110 hiare orationem iam Schmittius p. 151 vidit, qui tamen cetera glossa Hesychi corrupta usus non omnino recte administrat. strictim denique moneo pro ἐπέλεψε v. 109, quod mire Matthiaeus idem atque ἔτυψε esse vult, sine ulla dubitatione cum Cobeto in Mnemosynes tomo XI p. 310 ἀπέλεψε reponendum esse.

Versus 120, ἔργῳ δ' ἔργον ὄπαζε ταμὼν κρέα πίονα δημῷ, aperte declarat duas boves quas Mercurius ex antro ad ignem traxit iam mactatas esse, sed nihil ea de re legimus, ut iterum aliquid intercidisse videatur. sed adeo corruptus est versus qui proxime antecedit ut nescias nonne quod desideratur quamvis a librariis foedatum in sese contineat. mirum autem in modum versum 119 depravatum atque etiam interpolatum videri haud difficile est cognoscere. postquam enim duas vaccas Mercurius supinas in solum coniecit, scilicet ut homo pusillus caedere eas posset, inclinans aut, id quod verius, se demittens volvisse illas dicitur et id quidem spinae medullis perterebratis. quae insana esse, ut taceam de boum mactatione plane singulari pro iugulando, vix est opus praedicare. cur enim vaccae mactatae volvantur aeque obscurum est quam qui fieri potuerit ut, cum medullae spinales earum perterebrarentur, averso dorso iacerent: immo ideo Mercurium volutasse eas dicendum erat ut medullas perterebraret. nolo nunc adferre quae viri docti ad tollendas has difficultates sint moliti sed libere quae sentio eloquar. corruptum igitur versum iam dudum pessime correctum esse puto. nimirum cum ibi vocabulum αἰών occurreret et caesas esse boves necessario significandum esset, memor aliquis eorum quae supra v. 42 legerat, αἰῶν' ἐξετόρησεν ὀρεσκῴοιο

χελώνης, ad horum exemplar ea quae nunc v. 119 male nos habent suo Marte finxit, ut interpolatus hic sit versus: cuius quaenam antea, cum simpliciter corruptus esset, forma fuerit cum divinari non queat, ne de hiatu quidem post eum statuendo certi quicquam pronuntiari posse censeo.

Sed cum semel mentio versus 42 iniecta sit, facere non possum quin minime me intellegere profitear cur αἰῶνα ibi medullam spinalem esse velint interpretes, cum aperte omnem carnem quam testudo habet Mercurius exterebret: eam autem per medullam significari posse nullis machinis viri docti extorquebunt. neque facit cum eis Hesychius qui haec sub voce αἰών habet, καὶ ὁ ἐν παντὶ τῷ σώματι μυελός: manet enim etiam hic medullae notio. αἰῶνα igitur vitam intellego neque aliud quicquam Ilgenius videtur voluisse explicans 'αἰών est vis vitalis id quod ψυχή.' verbum autem quod est ἐκτορῆσαι tum non inepte positum est: ut enim Homerus T 27 dicit ἐκ δ'αἰὼν πέφαται, sic etiam illud verbum adhiberi potest si terebrando aliquis occiditur, id quod hic fieri videmus ubi scalpro Mercurius utitur.

Transeo ad versus 418 sq. ubi haec sunt,

λαβὼν δ' ἐπ' ἀριστερὰ χειρός
πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος.

est autem de lyra sermo, cuius tamen nomen nusquam legitur. quod cum animadvertisset is qui codicem Moscoviensem exaravit, pro χειρός substituit λύρην, quod et contra metrum peccat et paullo insolentiorem reddit orationem. namque solet poeta noster si de cithara ad laevam admovenda loquitur non simpliciter ἐπ' ἀριστερά dicere sicut alias veluti v. 424 sed adposito χειρός vocabulo, qua de re conferas, si placet, versum 153, χέλυν ἐρατὴν ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς ἐέργων, et versum 499, κίθαριν δὲ λαβὼν ἐπ' ἀριστερὰ χειρός. atque his quae posteriore loco posui Ilgenius nostra verba, quae cor-

rupta esse arbitratur, tota adcommodavit πὲρ ἐόντα ad καὶ κρατερόν adscriptum postea in textum venisse ratus. quod cum parum veri similitudinis habeat, cautius esse duco cum Hermanno Frankio Baumeistero unum versum quo lyrae vocabulum pluribus exornaretur omissum esse credere.

Atque etiam in altero hymno, cuius finis servatus nobis est, non nulla desiderantur. Apollinis enim orationem qua ius iurandum a Mercurio petit non recte se habere iam Hermannus vidit nihil hac sententia frigidius inveniri posse dicens,

518. ἀλλ' εἴ μοι τλαίης γε θεῶν μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,

520. πάντ' ἂν ἐμῷ θυμῷ κεχαρισμένα καὶ φίλα ἔρδοις,

adfirmatque scribendum esse ἔρδειν pro ἔρδοις. at ne sic quidem tolli omnem difficultatem certissimo indicio est quod Mercurius v. 523 promittit numquam se templo fratris appropinquaturum. haec enim singulae rei tam propria est mentio ut incredibile sit Mercurium eam sua sponte facturum fuisse. deinde utique probabile est, id quod iam Matthiaeus in Animadversionibus in Hymnos Homericos Lipsiae a. 1800 editis p. 304 indicavit, Mercuri verba secundum morem Homericum ex Apollinis ius iurandum concipientis esse repetita. is autem cum in Hermanniana emendatione nil ab illo postulet nisi generaliter ut animo amico sese tractet, eos versus interiisse censeamus oportet quibus Mercurius et universe τὸ ἀποκλέπτειν et singillatim τὸ ἐμπελάζειν πυκινῷ δόμῳ sit vetitus, traditam autem in versu 520 lectionem ἔρδοις retinebimus. atque confirmatur haec sententia nostra eo quod versum 519 spurium esse supra iam (p. 15) monuimus, in quo inserendo illos versus periisse magnam veri similitudinem habet.

VITA.

Franziscus ego Guilelmus Hermannus Ernestus Lohsee natus sum d. X. m. Ian. a. h. s. XLIX Berolini patre Hermanno, praeceptore, matre Marianna de gente Pape, quae quod ante plus quam quadriennium morte mihi est erepta vehementer doleo; fidei addictus sum evangelicae. edoctus prima litterarum elementa puer undecim annorum inter discipulos Gymnasii Berolinensis Leucophaei a Friderico Bellermanno, viro clarissimo optimeque de me merito, receptus sum. unde post septem annos cum maturitatis testimonio dimissus aestate a. LXVII universitatem Fridericam Guilelmam adii interfuique per septem semestria scholis Bonitzi Droyseni Erdmannsdörfferi Friederichsi Gepperti Haupti Hübneri Kirchhoffi Mommseni Müllenhoffi Trendelenburgi Werderi. praeterea postquam Hübnerus in societatem suam philologicam me admisit sodalis ordinarius seminario regio philologico adscriptus sum. neque vero non particeps fui Theotiscarum Müllenhoffi philosophicarum Trendelenburgi exercitationum deditque mihi aditum ad scholas privatissimas Kirchhoffius. iam cum anno proxime superiori bellum contra Francogallos exarsisset, voluntarium militem me obtuli atque inde a die XXIV. m. Sept. in castris fui Martemque expertus sum. Divoduro enim fame tandem nobis dedito septem proeliis ad Genabum et Vindinum factis manus cum hostibus conserui. neque id sine praemio feci, cum cruce ferrea ornatus et ad ordinem praefectorum militum provectus sim.

THESES.

1. Versus 414—416 hymni in Mercurium Homerici sic legendos propono,

    τότε δὴ κρατὺς ἀργειφόντης
    χῶρον ὑποβλήδην ἐσκέψατο πῦρ ἀμαρύσσον
    ἐγκρύψαι μεμαώς.

2. Ibid. versum 437 hoc modo scribendum esse censeo,

    πεντήκοντα βοῶν ἀντάξια ταῦτα μέλη σά.

3. Rectissime Meinekius in Sophoclis Oedipo Coloneo versus 702 sq. sic emendavit,

    τὸ μέν τις οὔτε νεαρὸς οὔτε γηρὰς
    ἡλαίνων ἁλιώσει χερὶ πέρσας.

4. Ibid. vv. 1081—1084 haec lego,

    εἴθ' ἀελλαία ταχύῤῥωστος πελειὰς
    αἰθερίας νεφέλας
    κύρσαιμι τῶνδ' ἀγώνων
    θεωρήσουσα μοῦνον ὄμμα.